

70 aegritudine quiveris, tunc id amaritudinis, immo vero  
quid veneni habuerit libido deprehendes. Nunc interim  
ponamus delicias delicias esse et libidinem voluptatem,  
nec aliquid habere dedecoris aut opprobrii. Quid dice-  
mus ad repositas poenas, quid faciemus ad hoc quod  
75 deliciae quidem velut umbra pertranseunt et velociter  
fugiunt, poenae vero perpetuo manent? Quod etsi aequale  
tempus et idem spatium deliciis positum esset et poenae,  
esset aliquis ita stultus et ita demens ut eligeret pro uno  
die deliciarum unum diem subire poenarum? Cum soleat  
80 dolor unius horae et quilibet corporis cruciatus in obli-  
vionem mittere omne praeteritum tempus in voluptate  
transactum. Nunc ergo cum possibile sit parvo tempore,  
si convertamur ad Deum, effugere omnia illa cruciamenta  
poenarum et perfrui bonis aeternis, quid differimus?  
85 Quid moramur et divina largitione non utimur? Dei enim  
ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit ut labo-  
rum quidem tempus et agonis non extenderet nec longum  
faceret aut aeternum sed breve et, ut ita dicam, momen-  
tum quoddam horae unius. Hoc enim est praesens haec  
90 vita, si ad illam conferatur aeternam. Providit ergo boni-  
tas Dei ut in hac brevi et exigua vita agones essent et  
labores, in illa vero quae aeterna est coronae et praemia  
meritorum, ut labores quidem cito finirentur, meritorum  
vero praemia sine fine durarent. Sed hoc sicut laetificat  
95 eos qui per laborum patientiam coronantur, ita affligit  
eos et cruciat in futuro, qui vident se pro parvo et exiguo  
deliciarum tempore perdidisse quidem bona aeterna,  
mala vero quaesisse perpetua. Ne ergo etiam nos in istum